



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

Hilaratur boni Latronis salute. 68

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

Gemina morte peretunt
 Testis adesse recusat mitissimus Spiritus;
 Maturat ad Inferos iter suum,
 Ibi esse malens ubi nulla Redemptio est,
 Quam ubi tanta est sine fructu.
 Malum Latronem ne præteri,
 Qui bonum attendis.
 Portum Salutis utrinque scopuli obsident;
 Ne credas igitur sine causa
 Inter hanc geminam Pharon medium stare.

ELOGIUM LXVIII.
 HILARATUR BONI LATRONIS
 SALUTE.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 19.

Incidisti in latronem, Viator,
 Siftendus es,
 Cave fraudem;
 Latroni, ne bono quidem, fidendum.
 Ita perditus, ut de illo non aliud sit servatum,
 Quam quod perierit,
 Ex latrocinandi libidine
 Posteritati prope furatus est nomen suum.
 Vitam ejus tibi mors sola describat.
 Omnium peritus viarum,
 Nisi ejus, quæ duceret ad honesta,
 Ubique vagus, ubique profugus,
 Ut inveniri semel à Deo posset, figendus fuit.
 Flagitiis initiatus ad pœnas,
 Infortunio suo felix,
 Pereundi occasione servatus est.
 In eadem cum Innocentia damnatione,
 Non causa,
 Ejus locatus ad dexteram,
 Justus videri potuit, antequam esset.
 Tunc primum certior factus
 Stare semper Probitatem in medio,
 Sodalem arguens, seipsum accusans
 Ab utroque recessit extremo.

G 3

Der

*Quare Christus
 mortuus ante latro-
 nem, unde non fre-
 gerunt ejus crura.
 Sunt qui probabile
 putant, spectandum
 Christum se prabuissè
 damnatis, ad
 terrorem.
 Ita fere Tertullianus,
 qui lib. de panit.
 vocat Davidem, &
 Pharaonem gemi-
 nam Pharon hu-
 mana vita.*

*Hoc Elogium, boni
 latronis epitaphium
 est, & in ejus tu-
 mulo incisum
 supponitur.
 Pauca enim de hoc
 latrone cognoscimus,
 ut ex Theoph. Ray-
 nauo in lib. de hoc
 ipso eruditissimo, ut
 cætera, scripto.*

*Mors enim latro-
 num insidiabatur
 itinerantibus.*

*Ne & tu times
 Deum, qui in eadem
 damnatione es.*

*Ad dexteram enim
 Christi ponuntur
 cægni, hædi ad
 sinistram.*

*Non enim mortuus
ante quam iuste
frangerent ejus
crura.*

*Et nos quidem iuste,
hic autem nihil
mali fecit.*

*Chrysol. serm. 61.
tunc rapuit paradi-
sum, quando latro-
cini sui penas est
appensus ut solveret.
Erant in Christo
thesauri omnes
absconditi.
Cum tenebra facta
fuerunt per univer-
sam terram.*

*Multi enim ex eo,
quod hujus exem-
plo penitentiam ad
mortem usque
differunt, misere
percut.*

*Vva eorum, vva
fellis, & botri
amarissimi.*

*Animarum ju-
menta corpora sunt,
unde Hieron. Asel-
luni suum vocabat.*

Dei absolutus in foro
Statim ac damnatus in suo,
Cruci firmius adhærens mente, quam corpore,
Ex ea non nisi iuste pulsus abcessit.

Peregrino Regi

Ad angustias redactio misericors,
Beneficiis eum adortus,

Ad Regni sui deditioem coegit.

Ne tum quidem immemor artis iuræ,

Cum propter illam periret,

Mutavit furti materiem furacitate retenta,

Viatori Deo non profuit

Diffimulasse nuditate Thesuros;

Exeuntem de Mundo in aërem usque sequutus

Adhæsit lateri,

Et festinate noctis opportunitate usus,

Quando jam non poterat manu,

Furatus est halitu.

Turbatum Cælum est,

Cum jam violenti raperent illud;

Gazis suis timuit trepidum,

Cum eas cerneret furtibus patuisse.

Iterum Viator, te moneo, latroni plus æquò ne fide;

Plures hic pie moriendo, quam impie vivendo

Peremit.

ELOGIUM LXIX.

SITIENS FELLE, ET ACETO
POTATUR.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 19.

Præter fel, & Acetum

Quid propinet sitientibus Mundus non habet,

Ingens tamen fortuna hominum,

Quod expertus id Jesus est,

Huic quoque consulturus incommodo,

Aperiet in latere fontem,

Ex quo mox bibant Nobiles animæ,

Et earum jumenta.

In meridie Charitatis suæ

Circa